



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiæ Moralis Emendatæ Appendix In LXXIX. Propositiones A Summis Pontificibus olim damnatas

[Verlagsort nicht ermittelbar], circa 1680

De Bonorum Operum Mercede.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40408

rum propriè gratiam vocare : cùm tamen disertè sic vocet Augustinus de Corr. & Grat. cap. XI. *Quid verò Adam non habuit Dei gratiam ? Imò verò habuit magnam, sed disparem.* Item Ench. cap. 106. *Sine Gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Quod Baius citatè S. Doctoris Epistolâ 95. & de Verbis Apost. quodque eum decepit, nempe, quod quæ Angelis aut homini in sua creatione donata sunt, non improbanda ratione possent dici Gratia, non tamen juxta modum loquendi S. Scripturæ eo nomine vocentur ; id Augustinus de Facultatibus animæ, intellectu, voluntate & similibus intellexit, quæ malè à Pelagianis Gratia nomine vocabantur, uti ipsum textum consulentibus clarum fiet. Quod verò ibidem sequitur, Nomine Gratia eam solam intelligi, quæ per Jesum Christum malè merentibus & indignis confertur, hoc de Gratia hujus status dicit Augustinus, & quidem comprehendendo totam Gratia seriem, adeoque & eam quæ prima malè merentibus datur.

DE BONORUM OPERUM MERCEDE.

PROP. DAMN.

Opera bona justorum non accipient in die judicii ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio merentur (alias mererentur) accipere. Est 15.

NOTA XXXII.

Habet hanc sententiam Baius lib. 11. de Meritis Operum cap. Finali : & probat, *Quia sic, inquit, vita eterna etiam in Angelis & homine si stetit, fuisset donum Gratia.* Magnum incommodum scilicet !

DE POENA PECCATI VENIALIS.

PROP. DAMN.

Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Est 21.

NOTA XXXIII.

Docet hanc idem cap. VIII. mox citati libri, primò quidem quasi disputativè, sed in fine planè assertivè. Ut probet, plura adfert quorum solutio difficilis quidem interdum, sed ramen apud Theologos pervulgata est. Unum est argumentum ex Augustino, quod suâ infirmitate docere omnes potest, quàm fuilia interdum apta sint viros magnos in errorem inducere. Proponam illud ipsius verbis. *Unde Augustinus, inquit, Quis cum aliqua specie adipsiscendæ salutis æternæ de hac vita migraverit, manente illâ sententiâ, quod quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus : nisi post paululum sequeretur : sic loquimini, & sic facite, tamquam per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia Judicium. Si enim sola crimina, suâ naturâ à regno cœlorum excluderent, tunc omnes Sancti, qui de hac vita sine criminibus exeunt, cum certissima salutis spe demigrarent. Ita ille. Quasi non & Sancti quique merito in exitu vitæ trepident, quia delicta quis intelligit ? Et, nescit homo utrum odio an amore dignus sit.*

CONCLUSIO.

Neminem malè habebit hæc opella nostra : nisi quem vel nimium uret accusatus Baius, vel defensus cum Schola sua Augustinus, vel justificata S. Sedis. Atqui nobis sufficit, si ceteris omnibus saltem proberetur. Eam verò non solum Ecclesiæ, ejusque visibili in terris Capiti, omni cum devotione & subjectione submitto, sed etiam doctis omnibus examinandam, ac si opus sit, eadem modestiâ quâ scripta est, reprehendendam propono ; paratus humiliter emendare, quod fortè ignoranter peccasse potui. Longè me doctior (adde etiam & melior) Baius fuit ; & tamen errasse eum, post Sanctos Doctissimosque Pontifices ostendere ausus fui.

FINIS.